

ut, si fieri potest, duo simul adversantia simul tamen velle videamur. fortuna vero seu casu quot eveniunt! quotiens e duobus idem ad forum tendentibus idemque iter ingressis^(a), alter a latronibus necatus est vel de via fatigatus incidit (in) egritudinem, unde, quod aliquando fieri videmus, mortem obiit; alter domum et lares suos revertit locupletatus et felix: tot quidem ista sunt fortuita. quemne iam^(b) pudet bonam a Deo poscere fortunam, imo, quod vix sine stomacho possit audiri, quotusquisque est qui non interdum ita supplicet fortunam Deum^(c): « nam illa dum adsit, prudentiam haud « curo »? impia precatio, et indigna prorsus viro vel mediocriter sapiente. quanquam enim aliqua sint fortuita^(d) secundum causas eas, que secunde dicuntur, relata tamen in causam primam, hec eadem fuisse previsa non est diffitendum; quod et ipsa prima continet omnia, quod et causas omnes precognoscit, et earum eventus in eternitate prescivit, quod denique nichil futurum sit quod eius effugiat notationem. ac istius causarum varietatis vide similitudinem. duorum mancipiorum herus alterum ad forum ire iussit, post et alterum, nec servorum alter de alterius missione cognoverat. si ad hos respicis, casu accidit quod alter alterum in foro reperit; si ad herum, non casu sed providentia. liquet hinc nulla esse casualia^(e) simpliciter, sed tantum ad nos relata, qui, quorum eventuum causas ignoramus, eos dicimus esse fortuitos. constat et illud ex ante discussis, non quia Deus futura previderit, ideo necessitatem inponi^(f) contingentibus nec coactionem voluntariis; previdit enim illa^(g) tunc demum futura cum aderunt cause, futuraque talia quales cause preiverint. sic discutitur Ciceronianus ille nexus: « que previsa « sunt, eo venient ordine quo sunt previsa, fiuntque omnia causis « antegressis ». ex hoc enim illud non elicitur ut fiant omnia necessario, sed tantum quedam; quia fiunt nonnulla contingenter, aliqua voluntate; sicuti causarum, ut iam diximus, quedam necessarie seu naturales, alie contingentes seu fortuite, et alique voluntarie. haud secus et tua illa solvuntur: « apud providentiam divinam pre- « scitum esse quando, quo loco et modo sit cuique moriendum ».

e, a proposito di quest'ultima, biasima coloro che chiedono a Dio la buona fortuna.

Vi sono poi degli effetti fortuiti che procedono da cause dette secondarie, ma essi pure sono previsti da Dio, poichè la prima causa tutto contiene ed ha prescienza d'ogni causa ed effetto. Ne dà un esempio, [cf. *Summa theol.*, I, xxii, 2; cxvi, 1].

onde appare come niun effetto sia di per sè fortuito, ma solamente rispetto a noi; il che risulta altresì da quel che s'è detto intorno alla prescienza e la necessità degli eventi contingenti o volontari.

Ecco lo scioglimento del nodo ciceroniano: solo alcuni effetti sono necessari, poichè gli effetti, come le cause, possono anche essere o fortuiti o volontari.

E similmente si risolve un'altra difficoltà: Dio è prescizio che ognuno

(a) *M* idemque intergressis (b) *M* sunt fortuna, quod ne iam (c) *M* fortunam dē
(d) *M* quanquam aliqua sint fortuna (e) *M* liquet nulla esset causalia (f) *M* inpone
(g) *M* previdit cum illa